



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola LXXXIX. Ioannis Papae VIII. Ad Carolomannvm Regem. Eiusdem
pene argumenti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

lationibus atque angustiis procul dubio cognoscetis ad liquidum: Romam siquidem clandestina fraude deuotum venire se simulans, a nobis velut filius pacis benigne suscepimus, quid virulenti consilii corde* gestiens in craftinum sequentis diei diluculum demonstrauit: nam deputatis custodibus verum etiam satellitibus ad portam Vrbis, quæ ad beati Petri apostolorum principis euntibus pandit iter, nullum nostrorum fidelium ad nos egredi patiens, cibos deferentes coercens, asserit Carolomannum regem sibi talia horrenda facere præcepisse. Quod idcirco non possumus credere, quoniam ex vestra progenie nullus ceruicem superbe contra hanc extulit sedem: sed propter Deum suppliciter colla submisit. Nos fili carissime pro Domini ecclesia & eius ouibus animam ponere cupientes, ecce marinos fluctus vndasque salis ad vos veniendo per difficile iter assumimus, vobiscumque simul positi Domino miserante vniuersalem Synodus celebrare disponimus totius sanctæ ecclesiæ, vobis obsecundantibus prouectum, & exaltationem loco percongruo satagamus peragere. Quod quofo regni vestri omnibus archiepiscopis, coepiscopisque nostris innotescere dignemini, eosdemque nobis adesse, continua maturitate accelerare monete. Data ut supra.

EPISTOLA LXXXIX.
IOANNIS PAPÆ VIII.
AD CAROLOMANNVM REGEM.

Eiusdem pene argumenti.

Dilecto filio Carolomanno glorioso regi.

QVANTA denique exaltatione sponsionis vestræ sanctam Romanam ecclesiam, videlicet matrem vestram omniumque Christianorum, quæ vos & lacte sua prædicacionis ab vberibus & ad imperialia a proauis sceptrâ sanguine regum excellenter produxit, subleuare curetis; & epistolari textu, & internuntiis nuper ad nos directis reminiscimur pleniter, fontemque vbertim cordis vestri solita pietate parentum vestrorum circa omnipotentis Dei famulatum miseratione abundare reperimus: vestrum quoque ad prædictam matrem vestram, vt gloria culmi-

nis vestris poponderit, tanto audiū, enīiusque quotidiana præstolatione aduentum expectauimus; quanto pro augmento mercedis vestræ nos, nostramque ecclesiam in tot aduersitatibus laborantem, super omnes imperatores atque reges, qui ante vos fuerunt, exaltare ac beatificare omnimodo promisisti. Sed heu proh dolor! fesso mihi Paganorum persecutione, ac gladio, atque exactiōis censu viginti quinque millium in argento mancusorum annualiter, imo prædictæ vestræ matri additus ciuilis mucro angustiæ est, qui pene nos funditus peremisset, nisi subita miseratione illius solaremur auxilio, qui fidelibus pollicens

Matth. 28.

inquit: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.* Exierunt quidam ex nobis, sed non fuerunt ex nobis, confitemur neque ex nobis, qui tanta Romanam ecclesiam dehonestatione, urbemque sacram, nos quoque fatigauerunt atque oppresserunt, ut simile nec in Christianis regibus factum reminisci vlo modo possit. Lambertum fateor, atque Adelbertum electos marchiones, qui hostili manu occultaque fraude qualiter nos affecere, culminis vestri gloriam latere nulla potuit ratione: quod ad omnium vestrum notitiam in suo scriptum tenetur opusculo. Nobis enim uero ad vos inter cetera mala iter clausere venire cupientibus; qua necessitate compulsi, nauale, animam præ manibus habentes, assumpsimus laboriose periculum, & commodum duximus Franciam ire, vestramque fraternalm compagem in pacis & vnanimitatis vinculum consolidare: vestræ matris saepe dieta liberationem sanctæ Romanæ ecclesiæ necessario querere. Vos siquidem illuc, omnesque vestrorum regnum episcopos ad Synodum celebrandam venire hortamur. Data de ciuitate Genuensi, & directa gloriæ vestræ per Ansperatum Mediolanensem confratrem & coepiscopum nostrum.

[†] Forte initium alterius epistolæ.

† Præsentem latorem Petrum cardinis ecclesiæ nostræ presbyterum gloriæ vestræ plurimum commendamus, eumque ad nos quæsumus cum vestris missis, atque opitulatione festinanter remittite. * Sabbatinum episcopum pri-

* defant aliqua.

mum & postea per Ansperatum Mediolanensem, de qua multum miramur, cur non iam a vobis responsum vel missos accepimus nos cum foret possibile primum, saltim per legatos vobiscum loqui cuperemus: deinde cum reli-

quis

quis fratribus vestris : quod quia vestra infirmitate , quam nimium dolemus , est prætermissum , nunc apud Trecas , Christo opitulante , Synodus sumus celebraturi , loquemurque cum Ludouico , & reliquis vestris fratribus , & post Kalendas Augustas ad vos reuertemur : tantum locum nobis dicendo ad tempus mandate , quo nobis debeat occurtere , & laborem pro vestra matre sancta Romana ecclesia non recusate assumere ; quia *si fueritis socii laboris , simul eritis & consolationis* : & in hoc quæso perficiendo non sit vlla dilatio . Data vt supra .

EPISTOLA XC.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD CAROLVM REGEM.

Excusat se quod ad eum legatum non miserit , interclusa sibi via a Lamberto eiusque fautoribus , qui vrbem Romam tenebant obseßam .

Carolo glorioſo regi dilecto filio .

IGTVR gloriae vestrae literarum serie recepta & lecta , ut de more antecessorum regum videlicet , & imperatorum , vestrorumque dumtaxat parentum erga Romanam ecclesiam , cuius lac vestram prolem hactenus educauerit , in cunctis omnia vos desiderare & assequi nouimus ; paterno affectu gratias agimus , & qualiter scripsisti imo tenemus . Ceterum pontificium nostrum vestra percunctari dilectio studuit , cur vobis non misimus ob quid taliter venissemus : Et vobis , & fratribus vestris glorioſis regibus , antequam ex Vrbe exiremus , mittere voluimus , sed officientibus Lamberto & Adelberto , fautoribusque eorum anathematizatis , mittere nequiuimus . Nec mirum , si ipsi nobis viam sustulerint , cum & ipsius beati Petri apostolorum principis ecclesiam , vestram denique matrem , & omnium Dei ecclesiarum tutricem , armis triginta diebus circumdatam tenere non formidauerint : ita vt nec ibi aliquam alicui lucernam illuminare , ne claudes Deo conferre liceret , præter postquam Vrbem exiuiimus ; fratribus vestris glorioſis regibus mittere fategimus , vt vobis super talibus intimaremus : sed cum vos magis iuxta audimus , ita mittere cogitauimus . Quo loco ab ipsis significatur

Concil. Tom. 24.

Q